

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3348

Genre d'acte : autre

Authenticité : non suspect

Datation : ...1204...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Enquête sur les droits du seigneur de Vernon.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 201, p. 31.

Texte établi d'après a

Quod dominium et quas justicias habebat dominus in castellania Vernonis.

Inquisitio facta sigillatim a Gaufrido de Capella quod videlicet dominium, quas justicias dominus Vernonis habebat in castellania Vernonis tam de duello quam de aliis per dominium ipsius castri, et quod dominium et quas justicias Dux Normannie habebat in castellania Vernonis tam de duello quam de aliis rebus per dominium Normannie.

Jurati : Philippus de Blarru, Petrus de Rooncea, Richardus Postel, Nicholaus de Fraxino, Odo de Floriaco, Guillelmus Havart, Odo Havart, Petrus de Fai, milites ; Nicholaus Luscus, Johannes de Inferno, Johannes de sancta Genovefa, Mauritius de Rothomago, presbiteri ; Richardus Cuisant, Rocelimus Juvenis, Richardus Vellus, Guillelmus de Gloton, Odo Tracart, Galterus de Longavilla, Radulfus Palmarius, Osmundus de Puteo, Rogers de Cruce, Germondus Gavibardi, Odo de Bisi, Odo de Cruce, Simo Piquet, Petrus Rex, Guillelmus filius Matildis, Martinus Pouffart, Guillelmus de Puteo, Hugo de Puteo, Mauritius Maillardi, Hugo Agniculi, Richardus Kalot, Rogerus Aude, et Hubertus filius Hilariis et Radulfus Filiolus, burgenses.

Dicunt omnes quod Dominus Vernonis in tempore suo habebat suum duellum ad judicandum et tenendum in sua curia et suam justiciam de suo latrone residente, et, si latro errans esset, justicia erat Ducis Normannie. Habebat etiam dominus Vernonis omnia alia placita et justicias, excepto placito ensis et exceptis recognitionibus. Milites vero et illi qui tenent libere de domino Vernonis vel de paribus habent suum placitum, donec sua curia fuerit abjurata, et duellum ad judicandum in sua curia et quando duellum adjudicatum fuerit et armatum ille ducit illud in curiam domini Vernonis, et ille in cujus curia duellum vadiatur habet emendam de duello. Si vero melleia vel malefactum vel maledictum affuerit, emende sunt domini Vernonis et ubicumque dominus Vernonis aliquid ceperit de redditu sive in terris, sive in vineis sive in domibus, dominus Vernonis habet vendiciones et omnem justiciam ; quicumque vero habeat capitales modiationes, sive miles sive alius, ipse habet vendiciones et justiciam ; nisi dominus Vernonis in illis aliquid habeat de redditu ; sed dicunt quod abbas Beccensis nullam habet justitiam neque vendiciones ubi non habet capitalem modiationem. Inmo quando non poterat habere suos census, ipse se clamabat ad dominum Vernonis et ipse ei reddere faciebat suos census sine emenda et ubi habet modiationem capitalem dicunt quod numquam viderunt super hoc placitum tenere, neque emendam levare, et ideo nesciunt utrum abbas emendam levare, et ideo nesciunt utrum abbas emendam habere debeat annon. Dominus Vernonis habet auxilium pro filio suo primogenito faciendo milite et de prima filia sua maritanda et de prima redemptione corporis sui capituli de guerra domini sui et quando dominus Vernonis ibat in exercitum cum duce Normannie, dux ei dabat tale auxilium quale dux volebat et illud auxilium capiebat in hiis locis apud Vernonem, Vernoinellum, Tornellos,

Chanterene, a la Croiz Bardell', Gameliacum, in valle de Ajonvilla citra rivum, in vico Normannie de Blarru. Si autem aliquis homo destructus fuerit per iudicium sive sit fugitivus sive bannitus, Dux Normannie habet proventus totius terre sue per unum annum, et ille de cuius feodo terra movet habet terram post annum. Dominus Vernonis habebat auxilium de feodis lorice, que ab eo tenebantur, quando dux Normannie sibi et aliis militibus donabat auxilium.

De eodem.

Jurati Vernonis dixerunt cum primo dictu quod nunquam viderunt neque audierunt quod in tempore domini Ricardi de Vernone neque in tempore domini Regis a tempore in quo dominus Rex fecit excambium cum domino Ricardo de castello Vernonis usque ad spacium V annorum quod abbas de Monteborc vel alius haberet decimam channarum, quod prius fuit levatum et positum in prepositura domini Regis in tempore Nicholai Bocelli, qui erat prepositus, et dixerunt quod dominus de fonte habebat V modios vini de feodis domini Vernonis, que modo non habet in manum suam.